

basali circiter  $\frac{1}{4}$  brevius, disco laevi, strictura apicali basi articuli secundi antennarum paullo crassiore. Scutellum pronoto brevius, sublaeve. Hemelytra abdomen longe superantia, laevia. Tibiae spinulis crassitiei tibiae aequae longis.

## 5. *Estuidus* Dist.

Rhynch. Notes XXII, Ann. and Mag. Nat. Hist. (7) XIII, 1904, p. 272.

Genus divisionis *Capsaria*. Membrana a D:o Distant false uniareolata describitur, re vera saltem *E. marginati* Dist. areolis duabus distinctis instructa. Etiam characteres reliqui cum illis divisionis *Capsaria* m. bene congruunt.

*E. marginatus* Dist., l. c., p. 273.

Queensland, Townsville, 2 spp., comm. D. Schouteden.

## 6. *Dirhopalia* n. g.

Genus divisionis *Capsaria* m. Corpus ovale, robustum, opaculum, laeve, breviter pubescens; capite nitidulo fere porrecto, pronoto brevior, cum oculis prominentibus apice hujus latiore, a supero viso transverso, ab antico viso latitudine cum oculis parum brevior, a latero viso altitudine basali longior, vertice immarginato, sulco longitudinali destituto, fronte subhorizontali, clypeo fortiter prominente, basi fere in plano frontis posita a fronte linea transversa impressa bene discreta, loris haud buccatis, genis dimidium altitudinis capitis occupantibus, gula horizontali, peristomio aequae longo; oculis laevibus, prominentibus, in lateribus capitis oblique positis; rostro gracili, apicem coxarum intermediarum attingente vel paullo superante, articulo primo medium xyphi prosteri attingente; antennis ad apicem oculorum interne insertis, articulo primo crasso, basi constricto, secundo a medio versus apicem fortiter clavato, ultimis brevibus, gracilioribus; pronoto transverso, trapeziformi, angulis anticis distinctis, obtusis, lateribus levissime sinuatis, margine basali supra scutellum truncato, versus angulos rotundato, disco postico versus apicem modice convexo-declivi, callis obliquis, medio